

Q.K.  
434,  
3.

de Düs quibusdam veterum  
Germanor.

II h  
903

Q.D.B.V.

CONCILIUM  
DEORUM QUORUNDAM  
GERMANIAE

*contra*

JE SUL U M  
RECENS NATUM  
CONSULTANTIU M

Ad D.V. Kal. Febr. A. d<sup>o</sup> I<sup>o</sup>c LXX.

In Acroaterio Majori

*exhibendum*

*publicat*

M. PAULUS MARTINUS  
SAGITTARIUS,

RECTOR SCHOLÆ ALtenburgensis.

---

ALtenburgi

Apud GOTHOFREDUM RICHTERUM.



L. B. S.

Um intuum, L. C. conspe-  
ctum præsens hoc scriptum pro-  
dire jubeo, tria potissimum in  
eodem mihi veniunt expedien-  
da. Unum, cum in hōc novi an-  
ni auspiciō prima te compellem-  
vīce, hoc est, ut pro tua salute at-  
que incolumitate devota suscipi-  
am vota pariter atque solvam.

Id enim antiqua à me exigit consuetudo à Romanis ad  
nostra usque tempora derivata, cui temerè refragari,  
summa mihi est religio. Romani autem hoc ipso tem-  
pore, quod valdè solenne eis erat, verba lēta, prospera  
& bona, ut Sulmonensis Vates l.I. Fast. & l. IV. de Ponto  
ea vocat, nuncupabant: Vota item pro salute publicā ac  
privatā in Capitoliō concipiebant, & felicissima quæque  
sibi invicem precabantur. Hinc, ne à more consveto  
secessum facere videar, en, quod pietate privatā tenus hac  
præstiti, publicā jam exequor, tibiique, L. B. præ-  
sentem hunc annum, quem non ita pridem per  
Dei gratiam sumus ingressi, auspicatissimum vo-  
veo ac felicissimum, precorque, ut, qui lētis tibi jam  
iniit auspiciis annus, lētioribus procedat, lētissimis exe-  
at, &

at. & saepius recurrat semper lætior, semper felicior! Atq;  
hoc est votum, quod ut semper solvi, semperque signari  
velit Numen Supremum, animitus exopto. Officio  
votorum absolutō ad alterum, cuius gratiā hæc scripsi,  
me nunc converto, quòd felicissimè me executurum  
spero, si tibi, L. C. indicavero, de quanam re Actus, qui  
habebitur, Oratorius sit occupatus. Hic ipse scilicet Con-  
cilium Deorum quorundam Germanorum, qui ab incolis  
hujus & vicinarum regionum divinis olim fuerunt affecti  
honoribus, exhibebit, eorumque contra Jesulum recens-  
natū consilia atque judicia exponet.

Sed quonam Dii illi gaudeant nomine, quid quisq;  
statuat, & quinam ex Lycei hujus alumnis eorum susti-  
neant personas, huc ut adponam, forsitan, L. B. deside-  
ras? En brevibus omnia ea, quæ expetis, habeas! Primus  
nimirum, qui in hoc Concilio tuo sese obferet obtutui,  
est

## SVANTOVITUS

à voce Vandalica *Svante*, quæ significat sanctum, & voca-  
bulo *Witz*, quod lumen vel fundum denotat, vel juxta  
alios à S. *Vito*, Martyre Corvegiensi, ita dictus, & omni-  
um Deorum ex Soraborum, Vandalorum ac Boëmorum  
judicio Deus atque Princeps, cuius vaticinia populi illi  
eo acceptabant atque ex osculabantur animo, ut pro o-  
mnium actionum normâ regulaq; eadem reputaverint.  
Hinc & nummum Svantovito quotannis offerebant cum  
spoliorum ac prædæ parte tertia; Sic & homine, eoque  
Christiano sacrum ei fuisse annuatim factum, testatur  
Hieron. Emserus, Canonicus Misnensis invitâ Bennonis  
Episcopi Misnensis. Formam ejus quod concernit, in-

A 2

Arco-

Arconæ, Rugiæ civitatis , templo, referente Saxone Grammatico l. XIV. Hist. Dan. ita habebatur pictus. Simulacrum nempe quatuor constabat capitibus, è quibus duo pectus, totidemque tergum respiciebant: barba erat rasa, & crines attonsi: in dextra cornu vario metalli genere exultum tenebat, & in sinistra arcum reflexo in latu brachio. Præterea tunica ad tibias prominebat, pedesque humo erant contigui. Plura cui de Svantovito scire est animus, adeat Historicum illum haud saxeum Saxon. Grammaticum, l. c. Helmold. l. II. Chron. Slav. c. 12. Albert. Crantzum in Vandalia l. II. Albin. in Chron. Misnens. tit. XI. f. 150. El. Schedium de Diis Germanorum, Syngramm. III. c. 12. p. 502. Atque hic Svantovitus, cuius vices geret

## JOHANNES HEINRICUS ERNESTI, Rochlitiensis Misn.

Præsidis hoc in Concilio fungetur munere, Diisque quæstionem, num Jesulus natus sit interficiendus, proponet ventilandam, causas adjiciens, ob quas Concilium hoc fuerit coactum. Huic deinde succedet, qui primum inter Conventus hujus Assessores occupat locum,

## RADAGASTUS, & Svantovito, interprete

## JOHANNE CHRISTOPHORO HEMPELIO, Altenburgensi, maximas procurâ & labore convocati concilii aget gratias, ac Jesulum è mediô esse tollendum pronunciabit. Fuit autem Radagastus, quem alii Radagasium, Radigastum, vel Radergastum malunt appellare, Slavorum & Obotritarum

tarum Deus, qui in templo Rethræ, Pomeraniæ oppido, pro Deorum judicatus Deo scutum, impresso nigro bubali capite, in pectore habuit, inque dextrâ bipennem tenuit: capiti verò avicula insidebat. Vid. Aut. cit. Ejusdem cum Radagasto sententia est

## FLINNUS vel FLINTZ

Vandalorum atque Soraborum Numen, ideo adoratum, quod à Leone, qui in sinistro ejus humero stabat erectus, se iri excitatum credula crediderit turba; Ita enim fingebar, ut sceleti referret figuram, & pallio indutus longo in manu gestaret baculum cum tumente suis vesica; At humero, quem quidam dextrum statuunt, sinistro Leo innitebatur. Flinnum autem repræsentabit

DAVID Sehler/ Geithensis Misn.

Posthæc Vandalorum & Venedorum Deus

## TRIGLAS,

quem Stephanus Johannes Stephanii in eruditis ad Sax. Grammat. notis f. 245. Triglaffum nominat, sub personâ

FRIDERICI ZÖLLNERI,

Altenburgensis,

comparebit, & Jesulum tamdiu esse tolerandum svadet, usque dum ad adultam perveniat ætatem, ac ejusmodi edat actiones, quas præstare in Deorum tantum situm est arbitrio atque potestate. Hujus simulacrum, cui caput cum tribus erat faciebus, & Luna divisa in manu, in templo B. Virginis oppidi Brandenburgi monti Harlingorum imposito, circa A. C. cl. I. XXVI. adhuc extitisse refert Monachus Pirnensis. Præterea surget

CRO-

## CRODO,

quem Latini vocârunt Saturnum. Hic specie messoris  
lineum cingulum gestabat, & in dextrâ ferens vasculum  
rosis plenum, pedibus nudis squamoso insistebat pisci, qui  
perca appellatur; in sinistra rotam tenebat. Dicet au-  
tem Crodo, cuius Orator erit

## EHRENFRIEDUS Dûrr/Muhla-

Variscus,

Jesulum non esse interficiendum. Atque hunc serie  
non interruptâ excipiet

## BELBUCH, vel JUTERBOGH

ut aliis audit, Vandalorum Deaster, & vi originis idem  
ac Deus albus, aut auroræ, qui hoc Deorum Concilium  
dissolvendum, hoste jam sublato, svadecbit, Declamatore

MICHAELE VVEBER O, Altenburgensi.

Belbicho autem è diametro se opponet

## ZUTTIBER,

(in cuius honorem lucus prope Martisburgum fuit con-  
secratus, ut in eodem Vandali quotannis convenirent,  
qui usque ad tempora Wigberti II. Episcopi Martis-  
burgensis, stetit) & Concilium non esse dissolvendum,  
Jesulo adhuc superstite, statuet, sententiam exponente

JOH. CHRISTOPHORO FREISLEBIO,

Werdâ-Misn.

Hujus autem judicium impugnabit

## JODUTTE vel ZEDUTTE

Saxonum idolum, Diisque erit svasor, ut Concilium ab-  
rumpant, totumque negotium cum aliis Diis communi-  
cent. Ejus autem implebit partes

LU-

LUDOVICUS GUNTHERUS SIDELIUS,  
Micro-Nehusianus Tyrigeta.

Pone sequetur

ZERNEBUCH,

à voce Zerne, quæ nigrum apud Vandaloſ significat, appellatus; Erat enim genius malus, maliꝝ & infortunii credebatur autor; hinc ut malum imminens averteret, pateram in conviviis eidem solebant consecrare Vandali. Radagasti autem & Flinni accedet sententiæ, aſſerens, Jesulum esse interficiendum. Dicendi officium in ſe fufcipiet

JOHANNES Schulte / Altenburgensis.  
Ultimo tandem loco ſuam hōc in Concilio proferet opinionem

PRONO,

& nihil certi de negotio præſenti eſſe statuendum, ſed expectandum, quid Syrorum & Agyptiorum Dii de Jeſulo judicent, affirmabit. Prono autem, quem Brennum Regem Germaniæ antiquum eſſe autumat Elias Schedius l.c. c. II. Slavorum fuit idolum, quod columnæ iſiſtens alterā manu vomerem, quo innocentia probari solebat, roſei coloris albiſ discriminatum punctis, alterā haſtam cum vexillo tenebat: tempora coronis erant redimita, aures prominentes, pedes ornati, ſub quorum altero tintinnabulum pendebat. Expediet ea

CHRISTIANUS Schumann/ Salfeldensis.

Habes hīc, L. B. Deorum, qui Concilio intererunt, catalogum, habes cuiusq; ſententias, & ſeriem Declamatorum. Ante verò quam Deorum contra Jesulum audiuntur Consultationes, prodibit

JOH.

JOH. CHRISTOPHORUS *Heimigfe/*

Altenburg.


PROLOGUS, qui Auditores omnium ordinur honoratisimos solenni illo *SALVETE* compellit, iisq; bona vota nuncupabit; deinde aperiet hoc Dec. mConcilium, & faventiam Auditorum suis exorabit ymmachis. Totum tandem Actum consummabit

CHRISTIANUS *Härtel* Altenburgensis,

EPILOGUS, qui repetitis Deorum sententiis gratias Auditorio pro benevolâ auscultatione persolvet immortales, suumque finiet sermonem verbo *VALETE*. Duo à me jam sunt expedita, restat adhuc unum, quod jubet, ut Vos, Optimi Reipubl. Literariæ Proceres Civesque, eâ, quâ decet, animi observantiâ ad spectandum audiendumq; convocem. Accedite, obsecro vos obtestorq;, hora 1. pomeridianâ Diei crastini, venite, si Musæ nostræ in quodam vobis sunt pretio, & in Acroaterio Athenæi nostri majore considete; Ea enim agentur, quæ nunquā vidiſtis aut audivistis, nec unquam visuri aut audituri estis, ut solenni illâ in Ludis Romanorum consuetâ formulâ uti mihi liceat. Introite sultis; Nam & hîc Dii sunt; non quidem personati; Id enim publicus luctus, quem præmaturus Serenissimi Patris Patriæ, D. FRIDERICI WILHELMII, Ecclesiæ Musarumq; Statoris Optimi, Felicissimi, τὸν ὄσιας μυῆμεν, nobis indixit obitus, prohibet. Agite itaque, Patroni, Fautores & Amici, confluente frequentes dicto loco ac tempore, nostro-  
que instituto benevolè favete. P. P. Alten-  
burgi VI. Kal. Februar. A.  
cloc loc LXX.

Von

Id enim  
nostra  
summa  
pore, c  
& bon  
ea voc  
privata  
sibi inv  
secessu  
præstit  
sentem  
Dei g  
veo ad  
iniit au



L. C. conspe  
scriptum pro  
otissimum in  
iunt expedien  
in hoc novi ante  
compellem  
ro tua salute at  
devota suscipi  
atque solvam.  
a Romanis ad  
merè refragari,  
hoc ipso tem  
læta, prospera  
z l. IV. de Ponto  
alute publicâ ac  
cisima quæque  
more consveto  
rivate tenus hac  
e , L. B. præ  
pridem per  
atissimum vo  
lætis tibi jam  
lætissimis exe  
at,&